



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

145. Num exequi possit mandata & pænas edictorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

sum in literis Apostolicis, blasphemiam, divinationem, fornicationem faminarum cum personis ecclesiasticis, lenocinium parentum & dominorum filias & famulas prostituendum, uti & casus, in quibus Episcopus procedere potest contra Laicos recenserit apud Bertach. *de Episc. l. 4. p. 2. tit. de auctor. Episc. circa spiritualia.*

*Quaestio 144. An Vicarius possit reos subijcere tormentis & torture?*

**R**espondeo: indubitatum est, id eum non posse sine mandato Episcopi; cum revera id sit inter ardua. De cetero id eum posse absolute astruit Sbroz. *l. 2. q. 153. num. 3.* citans pro hoc Gl. *in c. Presbyteri. il primo §. 9. c. illi. qu. 5. q. 5.* Abb. *in c. universitatis. de sent. excommunic. num. 5.* & *ibidem Felin. num. 2.* Diaz. *in pr. crim. can. c. 117. num. 15.* idque sine periculo incurrendae irregularitatis. Pro quo *num. 4.* citat Gl. *in c. accusasti. de accusat. Abb. in c. Cleric. ne Cleric. vel Monach. num. 3.* Felin. *in c. cum illorum. n. 12.* Quin & ampliat Sbroz. *num. 5.* hanc sententiam, ita ut Vicarius Episcopi laicis etiam ministris præcipere possit, ut torqueant Clericum; eo quod, licet de jure Episcopus velejus Vicarius, faciens Clericos per Laicos torqueri sit ipso jure excommunicatus, ut Felin. *in cit. c. universitatis.* Decius *in c. dilectus. de appellat. in princip. in contrarium tamen, ut habet num. 9.* sit observantia juxta Abb. *in cit. c. universitatis num. 6.* Clarus *l. cit. q. 64.* dicentem, quotidie se vidisse sic observari; ut mandante Episcopo Clerici à Judicibus secularibus torqueantur, & hanc esse bonam consuetudinem, ne aliàs delicta Clericorum remaneant impunita. Ac denique tradit Sbroz. *num. 11.* ex Cæpoll. *conf. crim. 78. per tot.* Vicarium Episcopi, si cum assistentia Judicis secularis fecerit Clericum torqueri, qui dein ad mortem condemnatus fuerit, non reddi per hoc irregularem.

*Quaestio 145. An Vicarius possit exequi mandata & poenas edictorum?*

**R**espondeo: id eum sine speciali mandato Episcopi non posse (intelligendo hoc de poenis gravibus) Sbroz. *l. 2. q. 189.* citans Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num. 175.* licet enim Vicarius habeat cognitionem causarum, non potest tamen inquirere, corrigere & punire sine speciali mandato, juxta dicta supra.

*Quaestio 146. An possit Vicarius poenitentias publicas imponere, & poenitentias publicè reconciliare sine speciali mandato?*

**R**espondent ad utrumque negativè Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 32.* citans Barbof. *de potest. Episc. p. 3. allegat. §. n. 84.* Pax Jord. *l. 12. tit. 12. n. 196.* Est enim hoc ipsum dignitatis episcopalis. Pax Jord. *l. c. uti & Sbroz. l. 2. q. 17. n. 2.* juxta *c. accedentibus. de excessibus Pralator. & ibidem Abb. n. 1.* quæ autè sunt dignitatis episcopalis, sine speciali mandato exerceri nequeunt ab alio inferiore Episcopo. Pax Jord. *l. cit.* Barbof. *cit. allegat. §. 4. num. 87.* Poterit autem hoc ipsum Vicarius ex speciali mandato Episcopi. AA. iidem; quia, quæ sunt dignitatis Episcopalis, possunt committi Vicario. Sbroz. *l. cit. num. 3.* & apud eundem Sbroz. Felin. *in c. his quibus. de off. Ordinar. in princip. Archid. in c. placuit. de poenit. dist. 6.* qui etiam ibi dicat, posse Sacerdotem alium de mandato Episcopi injungere similes poenitentias pu-

blicas; ergo à fortiore Vicario, utpote qui est eadem persona cum Episcopo, & habet jam antecesserit jurisdictionem ordinariam. Ut verò delegari possit hæc potestas Vicario vel alteri, requiritur, ut is sit Sacerdos; cum in foro poenitentiali nullus habeat auctoritatem ligandi & solvendi, nisi sit Sacerdos. Sbroz. *l. cit. num. 5.* juxta *c. omnis. de poenit. & remiss. c. cum satis. de off. Ordinar.* ubi Innoc. & Abb. *num. 1.*

2. Verumtamen distinguendum in hoc puncto inter poenitentias publicas, & inter propriè solennes, (uti hæc distinctio colligitur ex *Apostill. Jo. And. ad Gl. in c. accedentibus. v. publicas*) De propriè solennibus, & earum remissione seu absolutione habemus particulares rubricas in Pontificali, eaque post se, ut Pax Jord. *l. cit. num. 197.* trahunt irregularitatem, dum solenniter poenitentes fiunt irregulares. Has non nisi de mandato Episcopi injungi posse à Vicario indubitatum est; posse verò cum dicto mandato expressè tradit Sbroz. *l. cit. num. 1. & 2.* ubi quæro, an Vicarius Episcopi publicas injungere possit poenitentias, ac etiam solennes, respondeo, quod sic, ubi ad sit speciale mandatum. Et ad has poenitentias solennes restringendam esse mentem DD. negantium, posse Vicarium sine speciali mandato injungere poenitentias publicas, ait Pax Jord. *l. cit. num. 197.* Poenitentia verò aliæ sunt publicæ sine illa solennitate, quas juxta Apostoli monitum: publicè peccantes palam esse corripiendos; mandat Trident. *c. 8. sess. 24.* injungi, ubi crimen ab aliquo commissum publicè, & in conspectu multorum, relinquendo tamen arbitrio Episcopi, ubi ei magis expedire videbitur, commutandi talem poenitentiam publicam in secretam. Et de his poenitentis publicis ait Pax Jord. *l. cit.* non esse eas reservatas Episcopo, adeoque sine speciali mandato illius posse eas injungi à Vicario; cum passim videamus, eas etiam non solum ab Archidiaconis, & commissariis Archidiaconalibus, sed etiam à Parochis imponi.

*Quaestio 147. Quid possit Vicarius quò ad excommunicandum?*

**R**espondeo: posse illum excommunicare absque speciali mandato Episcopi. Garc. *p. 5. c. 8. num. 94.* Pith. *ad tit. de off. Vicar. man. 68.* Laym. *in c. cum in generali. de off. Vicar. in 6. num. 9.* Sbroz. *l. 2. q. 168. num. 2.* citans præter alios Gl. *in c. cum ab Ecclesiarum. de off. Ordinar. v. Eccles. in fine,* quæ voluit ob vicem commissam (ab Episcopo in generali commissione Vicariatus) mandatam esse facultatem excommunicandi. Est siquidem excommunicatio actus jurisdictionis *cit. c. cum ab Ecclesiar. & ibi Gl. Abb. & AA. communiter.* Sbroz. *cit. num. 2.* citans præter plures textus Covar. *in c. alma mater. p. 1. §. 11. in princ.* estque gladius excommunicationis nervus disciplinæ Ecclesiasticæ. Trident. *sess. 25. c. 3. c. dilecto. de sent. excommun. in 6. c. nemo. 2. q. 1.* & ad jurisdictionem Ecclesiasticam necessaria; cum jurisdictio sine correctione sit nulla. Sbroz. *l. cit. n. 4.* juxta *l. 1. ff. de jurisd. omn. Judic. c. cum contingat. de foro compet. & ibi AA.* ubi etiam, quòd quilibet Judex Ecclesiasticus possit excommunicare, etiamsi sit delegatus inferioris à Principe, & ab ipso Episcopo, ait Sbroz. *l. cit. num. 3.* citans *c. pervenit. 11. q. 1. Gl. in c. ex literis. de off. deleg. vers. si subdelegatus. Gl. in cit. c. nemo. v. excommunicet.* Covar. *l. cit. num. 1.* qui dicat esse communem. Navar. *in manual. confess. c. 27. num. 5.* & in terminis Vicarii Episcopi Bero *in Rub. de off. deleg. n. 27.*